

mitteret, Petrum Franciscum Nuceriam ad Auriam misit, ut denuo regio stipendio cum Savona oblato, viginti aureorum millibus, quæ jam meruerat, solvendis, totidem pro lytro Arausionensis Principis, quem dum captivum teneret, Rex Madriti, inita cum Carolo pace, libertate donaverat, permulceret. Sed inclinatum jam Auria, ac prope devinctum Cæsareanis animum, flectere, ac dimovere non potuit. Itaque tandem his ad Cæsarem conditionibus accessit; ut *primum, omnibus, quæ adversus Hispanum nomen gesserat, oblivione deletis, duodecim triremibus Cæsari militaret; sexaginta aureorum millia in singulos annos persolverentur; Genua sub Caroli patrocínio libertate frueretur, Savonaque civitas eidem subjiceretur.*

Ex hac Andreae Auria ad Cæsarem transitione quamplurima foederatis, eaque gravia accidere, Neapolisque obtinendæ pene spes omnis succisa fuit. Nam Philippinus Auria cum suis triremibus discedens, Venetos ad intermittenda vinearum opera, in quæ remigum turmæ sedulo incumbabant, coegerat, ut maritimæ custodiæ operam navarent; Barbefiusque maris præfectus, qui cum sexdecim triremibus e Massiliensi portu solverat, Savonæ tempus terebat, duobus fere peditum millibus, quibus subveniendum Lautrechio erat, ad Genuam in hoc rerum discrimine tutandam missis. Et licet Neapolitani regni procures, qui Gallis favebant, Gravinæ nempe, & Castri Duces, ut Lautrechio suppetias ferrent, delectu militum habito, augere illius copias niterentur, parum adjumenti ad belli exitum afferre poterant. Cunctis rebus in pejus quotidie ruentibus; cum, neque subsidia e Gallia advenirent, nec militum delectus, qui in Neapolitano regno habebantur, tanti essent, ut instaurando exercitui, ac muneribus militaribus obeundis sufficerent; in castris omnium rerum egestas, hostium equitatu quæ importabantur sæpius avertente; aqua laborari cœptum, aquæductibus ab hoste fractis; inde tot malorum cumulus ingruerat, ut passim militum cohortes contage, ac labe morbi tabescerent; restinctus militum vigor; torpor obortus; generosus mentis impetus socordia, & abjectione corruptus, vix sustinere arma, quibus se tegerent, vel hostem oppugnarent: immo nonnunquam illis abjectis, disciplinam,

1528

*Petrus Franciscus Regis Gallia mandato nititur in ejus stipendiis Auriam confirmare.*

*Andreae Auria ad Cæsareanos accessio.*

*Barbescius subveniendi Lautrechio mandata non exequitur.*

*Gallici exercitus consternatio.*